I. N. D. A.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

MORTIS GENERE

gl. mem. REGIS

GUSTAVI ADOLPHI,

QUAM

CONSENSU AMP. SENATUS PHILOSOPHICI

IN REGIA ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE BILMARK,

Hiſtor. ac Phil. Pract. Profeſſore Reg. & Ordin.

Publico examini modeſte ſubmittit

SVENO COLLIN,

Oſtro-Gothus.

In AUDIT. MAJ. Die XXII. Nov. MDCCLXXXVIII.

Horis ante meridiem conſvetis.

ABOÆ, TYPIS *FRENCKELLIANIS.*

à

Monſieur

JEAN ADAM PETERSEN,

Conſeiller & Propriétaire de Mines,

Monſieur,

Souffrez, je Vous en ſupplie, Monſieur, que j'oſe decorer de Votre reſpectable nom le frontiſpice de mes travaux Academiques. Que je ſerois heureux, ſi cette diſſertation plait à Vous, Monſieur, qui Vous faites un delaſſement de l'hiſtoire, & joignes à un gout exquis le ſavoir le plus profond. Les bienfaits, dont Vous m'avez honoré jusqu'ici, m'ont decidé à Vous offrir ce foible gage de ma reconnoiſſance. C'eſt l'hommage que je rends à Votre merite. Qu'il me ſoit permis, Monſieur, de ranger au nombre de Vos bontés, la grace que Vous me ferez de le recevoir, & la liberté de me dire avec le reſpect le plus profond

Monſieur

votre très-humble & très obeiſſant
Serviteur

SVENON COLLIN.

§. I.

In deſcribendis magnorum virorum fatis, iis præſertim, quæ circumſtantiarum nebulis ſunt involuta, opiniones Hiſtoricorum multum non raro inter ſe diſcrepare, haud ſimplici edocemur experientia. Quoties enim mortalium cuidam ea contigit felicitas, ut ex multis eisdemque ancipitibus periculis, quibus ex communi æſtimatione ſuccumbere debuiſſet, non ſolum ſalvus evaſerit, ſed ſingulis etjam ejus moliminibus ſucceſſus ultra vulgi exſpectationem reſponderit, toties hujus æquales, quin & poſteri, in eam facile inducuntur præſumtionem, talem, præſertim ſi virtutibus præterea Heroë dignis emineat, eſſe hominem plane extraordinarium, a Divina providentia maximis rebus gerendis deſtinatum, ac proinde ſortem a communi hominum fato diverſam habiturum. Quæ vero ſi fefellerit perſvaſio, & ſi Heroëm iſtum in glorioſo virtutum ac factorum ſtadio fortuna tandem deſtituerit, cæteri hoc ægre ferentes, extraordinarias eventuum, a ſua exſpectatione alienorum, ſciſcitari ſolent cauſſas. Valent hæc, quæ modo attulimus, cum de aliis aliisque viris, fama rerum geſtarum per majorem orbis partem celebribus, tum præcipue de Heroë immortalis memoriæ, Svethiæ Rege GUSTAVO ADOLPHO, quem

vivum, ut ſuum ſoſpitatorem ac delicium ſuſpiciebant non ſolum cives ſui, ſociique, quorum ſalus proxime poſt Deum ab eo pendere videbatur, quorum elogia, quod cultus ſpeciem continerent, magis, ipſe, quam hoſtium tela timuit (a); ſed etjam ut ſummum ſuæ ætatis exercitus Ducem, qui fortunam in ſua quaſi poteſtate haberet, venerati ſunt hoſtes (b): quibus factum rebus, ut multi illorum in ſuum inducere non potuerunt animum, Regem tantum modo aliis communi occubuiſſe. Pluribus vulneribus corpus ejus in prælio Lützenſi, die 6 Novembr. anno 1632 habito fuiſſe confoſſum, ſatis apparuit; dubium autem viſum, quis eadem ipſi inflixerit, an hoſtis eum proſtraverit, vel quidam a latere proditor. De mortis itaque genere magni hujus Regis in ſententiarum divortia abeuntibus Hiſtoricis, aliis ſimpliciter narrantibus, eum in medio hoſtium fuiſſe ab his interemtum, aliis inſuper contendentibus, perfidi eum amici ictui ſuccubuiſſe, ſpeciminis Academici loco in ambiguam hanc inquirere controverſiam conſtituimus, maturiori aliorum judicio modeſte propoſituri, quid nobis maxime probabile obveniat. Plura a nobis cordatus non exſpectabit Lector, ſecum perpendens, quantis fumorum, pulverum, quin & nebulæ turbinibus præliantes iſto involuti fuerint die, & proinde quod vix unus citari poſſit teſtis oculatus, ultimum Regis hujus fatum ſuperſtitibus plene planeque explicaturus.

(a) Vid. *Theatrum Europæ* Tom. II. p. 670, atque *Chemnitz Königl. Schwediſch. in Teutſchland geführten krieg.* p. 477.

p. 477. (b) Ipſe Imperator FERDINANDUS II. de Rege GUSTAVO ADOLPHO prædicare ſuevit: *Er iſt ein tapferer Fürſt, und erfahrnes kriegs Haupt*, Vid. *Kevenhulleri Annales Ferdinandi II. Tom. XII. p.* 2440. Et Wallenſteinius, Dux Fridlandiæ, de Rege dicebat: *qu'il l'eſtimoit le prémier Capitaine du monde*, vide *Le Soldat Svedois par Mr. Le Baron Spanheim p.* 363.

§. II.

Quamvis phænomenis non cummunibus, prodigia dixerunt veteres, propterea quod eadem rerum futurarum eſſe indicia, ſuperſtitioſa credidit antiquitas, haud magnum ſtatuendum ſit pretium; attamen quum prævia & ratione & revelatione conſtet, quod Deus nonnullorum hominum, eorum præcipue quos magnis rebus gerendis deſtinavit, ſpecialem agat curam, juvat etjam peculiaria quædam Divinæ bonitatis documenta, circa Regis Guſtavi Adolphi conſervationem conſpicua, breviter adferre. Celebrem Daniæ Aſtronomum, *Tychonem Brahe*, occaſione ſtellæ, antea non viſæ, in conſtellatione Caſſiopeæ an. 1572 fulgentis, prædixiſſe Principem in Finlandia naſciturum (a), ſatis notum eſt. Addunt alii, Tychonem prænuntiaſſe, Principem, quem ſtella deſignabat, magnas res in Germania geſturum, adflictis ibidem Evangelicis auxilio futurum, ſed an. 1632 diſpariturum (b). Quas vero prædictiones ita reſtringunt alii, ut perhibeant, Tychonem, a Rege Carolo IX de fatis filii recens nati conſultum, reſpondiſſe, ſibi ex ſiderum poſitione, qualis tem-

 pore

pore nativitatis hujus Principis fuit, conſtare, eundem ſolio Regio eſſe deſtinatum (c). Quicquid ſit, Princeps hic non in Finlandia, ſed Holmiæ die 9 Decemb. an. 1694 lucem primum adſpexit. Præterea non alius, niſi multa captus ſuperſtitione ſibi perſvadebit, ſidera fuiſſe officioſa in deſignando Principe, poſt viginti duos annos naſciturо. Pergo igitur ad certiora. Anno ætatis XVII Guſtavus Adolphus a Patre in Blekingiam mittebatur cum paucis cohortibus, tentaturus, an Chriſtianopolin Danis poſſet intercipere; quod feliciter quidem perfecit, ſed hoſtium inſidias evaſurus, dum flumen, tenui adhuc glacie conſtrictum, trajicere ſtudet, vorticibus hujus immergitur, in eisdem certe periturus, niſi eum opportune extraxiſſet Petrus Baner, Regis Senator poſtmodum factus (d). In obſidione urbis Rigenſis tribus vicibus ex graviſſimo vitæ periculo impigrum hunc Regem fortuna ſervavit (e). Nec ignotum eſt, quod in bello cum Polonis geſto, Rex Guſtavus Adolphus a Polono quodam captus fuerit, qui eum, ægrius ſequentem, interemiſſet, niſi Ericus Soop, equeſtris agminis Dux, interveniſſet, &, occiſo Polono, decretorium ictum Regi intentante, eum ab ultimo vitæ periculo tempeſtive liberaſſet (f). Omnium autem maxime periclitabatur Regis vita, dum, fervente bello Germanico, in inſidias, quas ipſi clanculum ſtruxerat Legionis cujusdam ſuæ Subtribunus *Quinti del Ponto*, natione Italus, ex transfuga factus Regis amicus, inciderat. Regem enim a ſuis digreſſum & viginti tantum equitibus comitatum ſubito circumfudit delecta hoſtium

cohors

cohors quingentorum equitum. Actum illo die cum Rege, plerisque ſuorum jam interemtis, fuiſſet, niſi hinc proditor Regem capere vivum volens, bombardas explodere prohibuiſſet, illinc cohortis Fennicæ, 70 equitibus conſtantis, Subtribunus, cujus nomen non conſtat, extremum Regis periculum ominatus, ſubito accurriſſet, hoſtesque adeo violenter fuiſſet aggreſſus, ut hi terrore panico perculſi, ſpolium, quo vix aliud magis opimum, e manibus dimittere fuiſſent coacti (g). Enimvero ſi ſingulos ancipites caſus, quos Rex feliciter eſt eluctatus, multasque ſibi ab hoſtibus ſtructas inſidias, ex quibus provida Dei eum ſervavit cura, enummerare aggrederer, longe ultra metam, huic diſſertationi propoſitam, evagarer; ſufficiat igitur nominaſſe, quod in corpore ejus ante pugnam Lützenſem non pauciores, quam tredecim cicatrices vulnerum, in præliis acceptorum, comparuerint (h); manifeſta ſigna, quod Rex nullis ſe ſubduxerit periculis, & quod fortuna hunc ſuum alumnum non niſi fero deſtituerit. Hoc etjam modo animos militum ſuorum contra imminentia mala adeo confirmavit, ut ſe ab illo non ad prælium, ſed ad victoriam duci crederent.

(a) Vid. *Tychonis Brahe Tractat. de nova ſtella* &c. p. 49 & 50. (b) Vid. Citatos a Nob. *Dalin in Hiſtoriæ Patriæ* Tom. III. Part. II. p. 318. not. (u) Scriptores, itemque Nob. *Lagerbrings Sammandrag af Svea Rikes Hiſt.* Part. 3. p. 79. (c) Vid. *Wervings Kong. Sigismund. och Carl IX:s Hiſtor.* Part. I. p. 270. (d) Vid. *Locce-*

nii Hiſtor. Svecan. Libr. VIII. p. m. 496. (e) Vid. *Loccenii Libr. modo citat. p. m.* 537. (f) Vid. *Loccenii Libr. citat. p. m.* 562. Memoriam inſignis hujus facinoris exprimit tabula ex alabaſtro affabre confecta & lateri cœnotaphii, Nob. Erico Soop in Choro Templi Cathedralis Scarenſis erecti, appoſita. (g) Vid. De *Mauvillon Hiſtoire de Guſtave Adolphe* Tom. II. p. 384. ſeq. (h) Vid. *præter alios* Isogæi *Carla Segerſköld* p. 463.

§. III.

Sicut Rex Guſtavus Adolphus inſignis fuit Heros, ita nonnullos ſua fuiſſe ætate deprehendimus, qui mortem ejus præſagire non dubitarunt; qua in re ſuam præcipue induſtriam quidam exercuerunt Aſtrologi, ſuorum licet ipſi fatorum ignari (a). Imprimis de Virgine quadam Bohemica perhibetur, Regem ante pugnam Lützenſem ab ea fuiſſe præmonitum, ut ſibi caveret; adeſſe enim in ejus comitatu, qui vitæ ipſius inſidias ſtruerent (b). Enimvero ex indiciis longe certioribus, quam quæ Pythia Bohemica, ſi qua modo talis fuerit, edere potuit, Regi conſtitit, inſidias ſibi paſſim & ubique parari. Multiplici enim didicerat experientia, hoſtes nec vi, nec technis, nec opibus parcere, ut ſe e medio tollerent; novit etiam, aulæ Pontificiæ tam proceres, quam clientes, nihil intentatum relinquere, ut ſe, qui eorum ambitioni ac tyrannidi modum ſtatuere nitebatur, ſuæ vindictæ aliquando immolarent. Nec mediocriter pro Rege ſuo ipſi timebant Sveci, cum quod quævis adire pericula

per

per naturalem ſuum ardorem non intermitteret, tum quod in ſuum colloquium admitteret viros, quorum nec intentionem nec fidem haberet perſpectam, negotium cum dubio amico, quam cum aperto hoſte periculoſius rati.

(a) Vid. *Rev. G. Wallini Diſſertat. I. De Gladio Guſt. II. magico* p. m. 107. ſeq. (b) Vide *Nucleum Hiſtoriarum*, qui prodit Wittenbergæ an. 1659. p. 317.

§. IV.

Haud eundem fuiſſe Ducum, in prælii arenam cum hoſtibus deſcenſurorum, ſe veſtiendi modum, multiplex docet Hiſtoria. Nonnulli enim, ut minores ſine moleſtia exciperent ictus, toti prodierunt cataphracti; alii cum ſcirent, ſe ab hoſtibus præcipue peti, horum a ſe averſuri impetum, alienum aſſumſerunt habitum; alii autem conſvetum retinuerunt veſtitum, fortitudinis documenta atque exempla tanto magis conſpicua ſuis præbituri militibus. Et hos tam in prioribus præliis, quam in pugna Lützenſi Rex Guſtavus Adolphus imitari non dubitavit; immo *cataphractas, quibus olim propter pondus impedita fuit omnis equeſtris militiæ utilitas pridem ipſe aboleverat* (a). Prælium Lützenſe ipſum & *impranſum & inermem* fuiſſe exorſum, refert Rev. Paulinus Gothus (b): quod tamen non ita erit accipiendum, quaſi omnibus deſtitutus armis in aciem proruerit; licet enim nec lorica nec galea ſe muniiſſet, accinctus tamen erat ſuo gladio, cujus ſingulari virtuti potius, quam brachio, illum pruden-

ter

ter ac maſcule vibranti, præcipua Regis hujus facinora tribuunt invidi quidam ſcioli, tanti Regis obtrectatores (c). Immo dubium eſt, an vel loricam vel galeam omnino habuerit hic Rex, quum talia ejus arma in Armamentario Stockholmenſi non compareant, ubi tamen ejusmodi reliquiæ Principum ſollicite ſolent adſervari. Plenius autem habitum, quem die ſibi decretoria aſſumſit Rex, in hunc deſcribit modum quidam ejusdem ætatis Hiſtoricus: *Le Roi ſe fit apporter un habit neuf & ſimple de peau, qu'il veſtit. On lui préſenta ſes armes, & le Duc Bernhard de Weimar & divers Princes & Officiers le conjurerent de prendre le caſque & la cuiraſſe; mais on ne peut le gagner ſur lui; le Roi les payant de l'incommodité, qu'il en ſouffriroit, & leur montrant le bal de mouſquet qu'il avoit en épaule, qui lui rendoit les moindres foulures inſupportables* (d). Et quamvis ſint, qui perhibeant, eius habitum ab ordinario veſtitu militari non fuiſſe diverſum, præſumere tamen licet, Regem inſignia Ordinum equeſtrium, præcipue ordinis Periſcelidis ſuperinduxiſſe; ſiquidem partim effigies Regis latam monſtrat faſciam ſuper humero, partim relatio Wallenſteinii de pugna Lützenſi inſinuet, Regem equeſtri inſigni fuiſſe conſpicuum: *Un Corporal des trouppes Imperiales prit un Mouſquetaire par la main, & lui dit, voyant que chacun faiſoit place au Roi: tire ſur celui-la, car c'eſt aſſurement quelque gros collier* (e).

(a) Vid. *Schefferi Memorabilia Gentis Sveciæ* Cap. VIII. §. I. p. m. 43. (b) Vid. *ejusdem Hiſtor. Arctoam* p. 402. (c) Vid. *G. Wallini Diſſert. cit.* p. 104. (d) Vid. *le Sol-*

le Soldat Svedois p. 472. (c) Vid. *L'Hiſtoire de Guſtave-Adolphe par Mauvillon* Tom. IV. p. m. 420.

§. V.

Ad noſtrum non ſpectat inſtitutum, diſpoſitionem utriusque aciei, tam exercitus Svecani, Duce gl. mem. Rege Guſtavo Adolpho, quam Imperatoris Germanici ſub auſpiciis Ducis Fridlandiæ, Alberti Wallenſteinii, in pugna Lutzenſi, Svecis & fatali & glorioſa, deſcribere (a), aut acerrimam horum Ducum, ſua ætate pro omnium præſtantiſſimis ac fortiſſimis habitorum, celebrare contentionem; ſed, præeuntibus Scriptoribus (b), fide digniſſimis, breviter tantummodo ea narrabimus, quæ in ipſo vitæ glorioſiſſimæ exitu Rex Maximus egit, & quæ ei in mortis ingruentis articulo acciderunt. Nocte igitur, quæ decretorium hoc præceſſit prælium, acie jam ab utraque parte conſtituta, Wallenſteinius ante frontem ſui exercitus amplam ac profundam foſſam curavit effodiendam, impetui cohortum Svecicarum retardando inſerviturum, in qua propterea partem optimorum ſclopetariorum diſpoſuit. Irrequietam Rex duxit noctem; ſibi enim propoſuerat, prælium primo mane ordiri; quod tamen ejus conſilium denſa, quæ circumjacens ſolum tunc tegebat, nebula, viſum oculorum intercipiens, plane intervertit. Nebula autem progrediente die diſcuſſa, nihil cunctatus, in hoſtem, qui urbem Lutzenam, ne impedimento ſibi aut Svecis adminiculo ipſa foret, incenderat, recta contendit, facto circa horam XI a. m. prælii initio. Acerri-

me utrimque ac varia proinde fortuna fuit pugnatum; ita tamen, ut pedeſtres copiæ Svecanæ, quas rex ipſe duxit, hoſtem ubivis de gradu dejicerent. Equitatum autem quum foſſa illi objecta retardaret, nec ille pro ardore Regis impetum in hoſtem faceret, Rex cohortem Smolandicam ipſe ducens, invocato Salvatoris nomine, ſuos ut ſe ſtrenue ſequerentur, exhortatus, oppoſitam foſſam ſaltu equi ſuperat, & cum nonnullis ſuorum, quibus non impar alacritas, nec diſſimilis equorum vigor, in quandam cataphractorum hoſtium cohortem, ingenti animo, majori periculo, cæteris circa foſſam adhuc hærentibus, irruit (c). In hoc ipſo congreſſu, ſiniſtrum Regis brachium bombardæ globo trajicitur, fracta ſimul tibia; cujus vulneris dolorem etſi aliquantiſper diſſimularet, alacri vultu ac ſtentorea voce ſuos ad pugnam perſequendam incitans, attamen quum, vulnere non obligato, ſangvis ubertim promanaret, & vires valde deficerent, Francisco Alberto, Principi Lauenburgico, e Familia Ducum Saxoniæ, qui latus ejus tunc ſtipabat, dixit: *Mon Couſin, tirez-moi hors d'ici, car je ſuis fort bleſſé* (d). Dum reditum in caſtra tentant, alio globo corpus Regis medium fuit trajectum. Ex cujus bombarda feralis hic exploſus fuit globus, incertum eſt; pro comperto autem habetur, quod ſclopetarius ille ferme e veſtigio ſua morte luerit pœnam cædis Regi intentatæ (e). Dico cædem intentatam; poſt bina enim hæc lethalia vulnera Rex adhuc ſpirabat; quamquam autem adhuc conaretur ſe erigere, hoſte tamen ferociter ingruente, dum, linquentibus

bus viribus ſuccuſſionem ferre non poſſet, equo defluxit, qui ſtapetibus hærentem aliquantisper trahebat, donec in medio circumfuſi hoſtis agmine vivus adhuc procumberet. Poſt hæc cum adverſario cuidam interroganti: quis eſſet? reſpondiſſet: ſe Regem Svecorum eſſe; ille deficientem ad aliam ſuorum partem rapere conabatur, ſed quum Svecici equites Regis equum, ſeſſore vacuum, conſpicati acerrimam in eo loco in hoſtes feciſſent impreſſionem, Regem deſideratiſſimum inde retracturi, ille ipſe, qui Regem detinuit, ſclopetum in hujus caput exoneravit (f), atque ita eum jam ante fere mortuum occidit. Quo facto, alii Regem, ad induſium usque ſpoliatum, gladiis inſuper transfodierunt: *Les Imperialiſtes ayant encore peur d'un mort, & craignant, qu'il ne vint à ſe relever* (g).

(a) Vid. Inprimis *L'Hiſtoire des derniers campagnes & négotiations de Guſtave-Adolphe en Allemagne par Gualdo, avec des Remarques de Mr l'Abbé de Francheville, nec non Ejusdem Gualdi Hiſtoriam Alberti Wallenſteinii, Ducis Fridlandiæ, Italice ſcriptam, ſed in Latinum ſermonem a Joſua Arndio translatam.* (b) Eorum, qui vitam Regis gl. mem. Guſtavi Adolphi conſignarunt, alii ſunt Oratores, quos inter eminent Bened. *Skytte, cujus eſt oratio in exceſſum Guſtavi Adolphi, Joh. Freinsheimii Panegyricus, Matthiæ Berneggeri Laudatio Funebris Guſtavi M.; D. Heinſii Panegyricus, Joh. Scheffero in notis ad Hiſtoriam Gothrici & Rolfi* p. 119. Incomparabilis *dictus, aliique plures.* Inter Hiſtoricos præ-

cipue *S. Puffendorfi Comment. de rebus Svecicis*, *Le Soldat Svedois* par Mr. Le Baron Spanheim, *Hiſtoire de Guſtave-Adolphe par Mr. Mauvillon* Tom. IV. *Hartes Das Leben Guſtav Adolphs des Groſſen*, *Gualdi Hiſtor. nuper citat.* conſuluimus, ut alios ſilentio prætereamus. Scripſit quoque *Mr de la Mothe de Vayer* partim une *digreſſion ſur le ſujet du feu Roi du Svede*, partim un *Diſcours ſur la bataille de Lützen* in operum ejus Tom. I. part. I. & Tom. IV. Part. I. occurrentes; ſed in quibus ſuam cum veteribus Hiſtoricis Græcis & Latinis magis prodit familiaritatem, quam, quod tamen exſpectaret Lector, fata Magni hujus Regis in pugna Lützenſi exponit. (c) Vid. *L'Hiſtoire de Guſtave-Adolphe par Mr. Mauvillon* Tom. IV. p. m. 413. (d) Vid. *Le Soldat Svedois*, p. 476. (e) Vid *Le Soldat Svedois* loc. jam citato. (f) Vid. *Libr. Pufendorfii cit. p. m.* 83. (g) Vid. *Le Soldat Svedois* p. 477.

§. VI.

Si ad tenorem circumſtantiarum, quas §. V. attulimus, Regis Guſtavi Adolphi exceſſum e vita conſideremus, nihil plane extraordinarii in eodem occurrere reperimus; caſus vero fuiſſet ferme extraordinarius, ſi tot mortibus Rex expoſitus non occubuiſſet. Ardenti enim equo ipſe ardentior vectus foſſam ſibi objectam cum paucis admodum, qui eum ſequi potuerunt, tranſiliit, & in oppoſitam hoſtium cohortem irruit. Adverſarium hunc, ferociter ſibi inſtantem, eſſe præcipuum Ducem, facta, aucto-

auctoritas, geſtus & inſignia, quibus erat condecoratus, Cæſareis affatim indicabant; quamobrem nec mirum, ſi vel plures horum in eum ſuas dirigerent bombardas, vel quod brachium ejus in iſta globorum exploſorum grandine graviter vulneraretur. Deficientibus autem præ ſanguinis exundantia viribus, dum, acceptum vulnus curaturus, & in tutum ſe recepturus locum, equum vertit, hoſtibus ſuas exonerare pergentibus bombardas, novo globo, a tergo corpus ejus per medium transverberabatur. Quo ictu plane lethali humi deinde fuſus, ultimum excepit. Hinc quidam ex recentioribus Hiſtoricis: *l'opinion la plus commune eſt, que ce Roi ayant attaqué un eſcadron des Cuiraſſiers de l'Empereur, commandés par Piccolomini, il reçut dans le bras un coup de piſtolet, qui lui fracaſſa l'os, & qu'un ſoldat ennemi, ne le connoiſſant point, le tira un coup de mouſquet dans le dot, & renverſa ce Prince, qui fut auſſitôt foulé au pieds des chevaux* (a). Immo plerique Scriptores, Regi Guſtavo Adolpho æquales, ſcribunt *que le Monarque Svedois fut tué accidentellement, & prétendent que Guſtave fut tué par ce qu'il s'étoit ſouvent mis dans le cas de l'être, & qu'il ne faut pas chercher d'autre raiſon* (b). Cui ſententiæ magnum inde accedit robur, quod nec Regni Cancellarius Axelius Oxenſtierna, nec Cancellarius Aulicus Adler Salvius in ſuis ad Senatum Regni paucis diebus poſt pugnam Lützenſem ſcriptis litteris quicquam de præſumta quadam in Regem conſpiratione memorent. Quæ quum ita ſint, in contrariam opinionem parum valebunt vel acroama Regis ſæpe dicentis: *Vix*

esse, ut Reges in prœliis caderent, nec id fieri solere (c), vel aliorum conjecturæ, minus magisve speciosæ, quas nunc seorsim expendemus.

(a) Vid *l'Histoire du Nord par Mr. Lacombe Tom. II. p.* 205. (b) Vid. *Dissertation sur la mort de Gustave-Adolphe in opere Historico Gualdi. p.* 234. (c) Vid. *Car. Ogierii iter Polonicum p.* 292.

§. VII.

In eo plerique Scriptores conveniunt, ictum secundum, quo corpus Regis medium transverberabatur, fuisse maxime lethalem. Auctorem hujus quidam nominant Georgium Henricum, Comitem de Pappenheim, copiarum Cæsarearum Ducem, Virum bello strenuum & manu fortem, *par ce qu'il s'etoit vanté souvent, qu'une prédiction ancienne se trouvoit ès Archives de la maison, qu'un Roi étranger mourroit de la main d'un Pappenheim balafré & monté sur un cheval blanc. Et que pour ce sujet ayant le visage cousu aussi bien que divers endroits de son corps, il en avoit fait reflexion sur soi, & cru que cela devoit être accompli par ces mains* (a). Aberat autem a campo martio Lützensi Pappenheimius, dum Rex mortiferum hoc accepit vulnus, quippe quo Rex circa meridiem fuit adfectus, Pappenheimio, Hala reduce, post meridiem demum in prælii arenam descendente (b). Cui accedit, quod, ut perhibetur, auctor hujus vulneris manibus occisi Regis suo sanguine statim post perpetratum facinus parentaverit, id quod in Pappenheimium non quadrat, qui postridie

ridie a pugna ex accepto mortuus eſt vulnere, a circumſtantibus in agone quærens amicis: vera ne eſſet fama, quæ percrebuiſſet, Regem occubuiſſe? quod quum hi aſſeveraſſent, ille profeſſus, ſe nihil ultra deſiderare, extremum reddidit halitum (c). Quomodo autem quæſo infelicem Regis caſum ignoraſſet, ſi hic ſua manu fuiſſet proſtratus?

(a) Vid. *Le Soldat Svedois* p. 476. (b) Vid. *L'Hiſtoire de Guſtave-Adolphe par Mauvillon* Tom. IV. p. 430. (c) Vid. P. B. *Burgi Comment. de bello Svecico* p. m. 412.

§. VIII.

Percrebuit quoque fama, non vulgi rumore, ſed præcipua probabilitate nixa, Regi gl. mem. Guſtavo Adolpho ictum decretorium acceleraſſe Mauritium Falkenbergium (a), Nobilem ex Weſtphalia ortum, & tunc temporis in Goetzii legione Subtribunum (b); quem auctorem hujus necis fuiſſe perhibet Wallenſteinius, qui procul dubio ex tenore ſui muneris accuratiſſime in hoc inquiſivit factum. In ſua enim ad Cæſarem relatione de prælio Lützenſi, poſtquam ſignificaſſet Regis brachium globo ſclopeti fuiſſe fractum, addit: *A l'inſtant meme un de nos Eſcadrons, conduit par un homme revetu d'une cuiraſſe luiſante, & qu'on croit avoir été le Sr. de Falkenberg, Lieutenant du Regiment de Florence, envelopa le Roi & lui tira un coup à la tête, dont il tomba mort: & ſur le champ il fut depouillé - - - Falkenberg fut tué en vaillant hom-*

homme ſur la meme place, où il avoit tué le Roi (c). In iſthac narratione nihil, quantum quidem ipſe perſpicio, quod non ſit & poſſibile & probabile, occurrit. Attamen alii Scriptores eundem Falkenbergium, auctorem facinoris, in Regem commiſſi, alia plane ratione in ſcenam certaminis producunt, opinantes, Ducem Franciſcum Albertum in ſuam domum eum recepiſſe, atque hujus miniſterio uſum in Rege de medio tollendo (d); quam vero dicam, quum Hiſtorici Regi æquales Falkenbergio non ſcribant, nec ipſe, niſi ex ſola judicandus ſit præſumtione, percuſſor erit habendus.

(a) Fuit hic ex eadem familia cum Theodoro Falkenbergio, cui curam negotiorum in Saxonia Inferiori adminiſtrandorum Rex commiſerat, & qui Magdeburgi pro Rege & urbe fortiter pugnans, in hujus excidio, globo ſtratus occubuit. (b) Vid. *Puffendorfii Libr. cit. p. m.* 83. (c) Vid. *l'Hiſt. de Guſtave Adolphe par Mr. Mauvillon Tom. IV. p.* 420 & 421. (d) Vid. *Libr. modo cit. p.* 506, 507.

§. IX.

Nec deſunt, pro comperto habentes, quendam Johannem Schneberg gladio ſuo Regem, a ſe adhuc vivum deprehenſum, transverberaſſe, atque proſtrato torquem aureum, quem geſtare ſolebat, eripuiſſe, ab ejus poſteris, in Weſtphalia, adhuc habitantibus, in ſymbolum rei geſtæ ſollicite cuſtoditum (a). Quamvis autem Schneberg torquem Regis habuerit, exinde tamen, quum certiora deſint

deſint indicia, colligere non licet, quod ille Regem occiderit, præſertim quum, Cæſareis militibus veſtes Regis diripientibus, fieri potuerit, ut Schneberg hic, laureolam in muſtaceo quæſiturus, vel torquem Regi jam mortuo detraheret, vel alio ſibi compararet modo. Peculiarem de morte Regis opinionem fovit Bibliothecarius Caſſellanus de Kückelbecker, quod ſcilicet Rex Guſtavus Adolphus interierit manu D. de W - - -; quibus vero litteris initialibus ſi Bernhardum Ducem Vinarienſem voluerit deſignatum, qui in prælio Lützenſi alterum exercitus Svecani moderabatur cornu, neſcio an quidquam, ſi fingere etjam voluiſſet, effutire potuiſſet ineptius (b).

(a) Vid. *Lagerbrings Sammandrag af Svea Rikes Hiſt. Part. III. p.* 85. (b) Vid. *Arkenholtz cit. a Nob. Lagerbring in Libr. nom. p.* 85. 86.

§. X.

Solutionem quæſtionis de mortis genere Regis Guſtavi Adolphi ſe in ſuo per Germaniam itinere inveniſſe putavit Celeberrimus Archipræpoſitus Wexionenſis, Andreas Gœding, ita ſcribens: „Då jag var i Saxen och Thu„ringen An. 1685, fick jag veta genom en lycklig hån„delſe om Sal. Konung Guſtaf Adolphs dôd, huru dår„med var tilgångit, nemligen, då den ſtore Konungen „var utriden med ſin lifknekt at recognoſcera, och olyck„ligen i den ſtora dimman, ſom då var, råkat ihop med „en Trouppe Kejſerliga, ſom fuller ſkuto honom, men „intet til dôds. Då ſkulle Lifknekten fôra honom til

„Lågret, men under vågen ſköt han ſin Herre aldeles „ihjäl; och ſom Sal. Konungen var nårſynt, ſå betjänte „han ſig af et Perſpectiv, ſom Lifknekten tog, och jag „ſedan af Diacono Naumburgenſi mig tilhandlade. Sam„ma Lifknekt var då mycket gammal, och låg på ſit yt„terſta, men hade et obeſkrifveligit qval öfver den ſtyg„ga gårningen han hade bedrifvit, kunnande intet gifva „ſig tilfreds, eller få någon ſamvetsro, förrån han feck „bemälte Diaconus til ſig, och feck göra ſin bekännelſe „omſtåndeligen. Af ſamma Diacono feck jag berättelſen „dårom tillika med Perſpectivet, ſom nu ligger i Archi„vo regni (a). Scio equidem, narrationibus hominum in ipſo vitæ exitu conſtitutorum, multum eſſe tribuendum; juxta tamen non ignoro, dari ſubinde Thraſones, qui, extra metum pœnæ conſtituti, magna in ſe confingunt facinora, præſertim ſi factum fuerit impudens multorum votum, ut amplam poſt fata conſequantur famam; eosque fidem dictis facturos, morſus prætendere conſcientiæ acutiſſimos. Fieri certe potuit, cum mira ſit ingenii humani levitas, ut ex horum numero eſſet ille, quem Regis percuſſorem Cel. Gœding citat. Relatum ipſe refert, nec ego ſpondere audeo, quin fabulam ei retulerit Canonicus Naumburgenſis, perſpicillum tanto carius venditurus. Nec poſteſſio perſpicilli Regis plane evincit, Regem a direptore fuiſſe interemtum. Imo de fide allatæ narrationis multum decedit, quod nomina tam præſumti percuſſoris, quam ipſius Diaconi plane reticeantur, nec in illum quadret, quod de eo narratur, qui Regi violen-

tas

tas intulit manus, ſcilicet quod facinus ſuo ſangvine ſtatim expiaverit.

(a) Vid. *Den Svenſka Mercurius för Auguſti Månad* 1757 *p.* 182. *& L'hiſtoire de Guſtave-Adolphe par Mauvillon Tom. IV. p.* 470. 471.

§. XI.

Nemini autem gravior adhæſit macula ſuſpicionis Regis Guſtavi Adolphi, perfido modo a ſe interemti, quam Franciſco Alberto, Principi Saxonia-Lauenburgico; quam opinionem cum connata Viro nimia animi levitas, tum aliæ confirmare videbantur circumſtantiæ, quarum præcipuas breviter perſtringemus (a). Scilicet fortunam belli experturus, militiæ Cæſareæ ſuum primo dederat nomen, tantamque apud Imperatorem Ferdinandum II inierat gratiam, ut ab hoc ad Electorem Saxoniæ, Johannem Georgium I. mitteretur, Principem hunc a partibus Svecorum abalienaturus. Paulo autem poſt animum ipſe, incertum qua de cauſſa, mutavit, atque ad Svethiæ Regem in caſtra Norimbergica tranſiit, operam ſuam Regi in bello offerens. Et quamvis Axelius Oxenſtierna Regi ſignificaret, dubiam ſibi videri advenæ hujus fidem, nihilo tamen minus in amicitiam Regis receptus, ejus lateri diligentius, quam pro vulgari officio adhæſit. In prælio Lützenſi Regis latus, uti vidimus, ſtipabat, viridi ornatus cingulo, quod inſigne ideo ex conventione adſumſiſſe inſimulabatur, ne milites Cæſarei bombardas in eum dirigerent. His accedit, quod poſt Regis mortem, mi-

litia Svecorum relicta, ad partes adverſariorum ſe conferret. Præterea Cæſareis Ducibus, inprimis Wallenſteinio, etjam dum in exercitu Svecano ſtipendia meruit, eum familiariter uſum fuiſſe tradunt. Ipſe porro pauper, atque in diem fere vivens, poſtquam ad Cæſareas transierat partes, Svecos capitali odio ſemper proſecutus, eisque impugnandis demum immortuus eſt (b). Atque hæc ſunt præcipua criminationum momenta in Principem Franciſcum Albertum cumulata, quæ paucis ad examen a nobis ſunt revocanda. Quocirca ſtatim obſervamus, quod poſt obitum Regis Guſtavi Adolphi, non pauci ſuſpectum habuerint Principem Franciſcum Albertum, quod Regi fata acceleraſſet, ſed quod nemo ante Pufendorfium, qui allatis accuſationum capitibus ſuam magis oneravit, quam ornavit Hiſtoriam, tam dirum ei objecerit facinus. Pufendorfium igitur tali cenſura perſtringit Lacombe: *Mr Pufendorf avance bien légérement & ſans les preuves neceſſaires pour une ſi noire imputation, que ce fut François Albert Duc de Saxe-Lauenbourg, qui, gagné par les Imperiaux, porta lui meme le coup mortel à Guſtave, au ſervice duquel il étoit paſſé* (c). Profecto dum cogitamus, Principem ſæpe nominatum, cognatione non ſimplici cum Rege Guſtavo Adolpho fuiſſe conjunctum, ab eo benigne exceptum, ac pro ſua dignitate liberaliter habitum, vix præſumi poteſt, eum tantum, quantum ei objicitur, committere potuiſſe facinus. Ita de hoc Principe cenſuit Rex gl. mem. Carolus XII in ipſo campo martio Lützenſi conſtitutus, dicens: *qu'il étoit impoſſible, qu'un*

qu'un Prince ait put commettre une action ſi indigne envers un Roi, qui l'avoit comblé des bienfaits (d). Immo Procerum Svecorum oculis animisque inde ab acceſſus in caſtra Regis momento in eum converſis, nec perfidiam in Regem, ſi quam fuiſſet meditatus, ita ſimulare, nec commercium, quod cum Ducibus Cæſareis ei objicitur, ita celare potuit, ut non quædam utriusque retegerentur indicia. In ipſo prælii conflictu lateri Regis adhæſit, ejusque ſtudio Rex ſe ſaucium, in tutiorem locum ab eo devehendum non ſolum commiſit, ſed etjam dum ſuam conclamatam judicaret Rex magnanimus ſalutem, Principi ſvaſit, ut ſibi conſuleret (e); neutrum facturus, ſi Franciſcum Albertum fata ſibi acceleraſſe ſubodoratus fuiſſet. Propter cingulum viride, quod in prælii diſcrimine geſſit, male inprimis audit hic Princeps, ſed quum incertum ſit, an illud vel ad ejus amictum pertinuerit, vel in rem præſentem adſumtum fuerit, ut ſe videlicet contra hoſtium ictus præmuniret; vereor, ne diſſentientes hoc argumento nodum in ſcirpo quærant. Si poſterius intenderit, probabile eſt, vanam hanc fuiſſe cautelam; nam *ayant été pourſuivi par les Imperiaux, dont un lui appuya le piſtolet à la tête, il laiſſa tomber le Roi, & ayant paré le coup avec le bras, il eut ſeulement la joue écorchée, & il s'échappa* (f). Graviſſimum autem commiſſi in Regem flagitii argumentum videtur, quod Princeps hic, Rege mortuo, ad hoſtes, biduo interjecto (g), tranſierit. Prævidit autem procul dubio, in exercitu Svecano, nullam poſt Regis occaſum ſe manere fortunam; quare amiſſam

Imperatoris gratiam recuperaturus, inter primos eſſe voluit, per quem hic de circumſtantiis occaſus Regis redderetur certior. Nihilo tamen minus Quidam ex recentioribus, Principem Franciſcum Albertum, quem pœne abſolverat, ex qualibuscunque indiciis condemnaturus, fundamenti loco ſuæ accuſationi hanc ſubſternit parœmiam: quod dubii facinoris is reus cenſeatur, qui mercedem ejus tulit. At quem quæſo, fructum percepit nominatus Princeps? Scilicet eodem die, quo Wallenſteinius ex Imperatoris mandato fuit occiſus, ipſe comprehenſus, cruento forte functus fuiſſet fato, niſi, quod acerbiſſimum cordato cuivis obvenit, avitam mutaſſet religionem. Arriſit quidem illi deinceps poſt varios caſus fortuna, ſed proximis tantum ante ejus occaſum diebus (h. Quum itaque certis nullis, ceu hactenus oſtendimus, conſtet argumentis, Regem Guſtavum Adolphum manu aut artificio Principis Franciſci Alberti interiiſſe, ipſa jubet humanitas, ut æquiorem ac mitiorem de eo feramus ſententiam.

(a) Vid. *L'Hiſtoire de G. A. par Mauvillon Tom. IV. p. m.* 457 *ſeq.* (b) Vid. *Puffendorfii Libr. cit. p. m.* 83. itemque *Lagerbring Libr. cit. p.* 85. (c) Vid. *Ejusd. l'Hiſt. du Nord Tom. II. p.* 204. (d) Vid. *l'Hiſtoire de G. A. par Mauvillon Tom. cit. p. m.* 463. (e) Vid. *cit. modo l'Hiſtoire p. m.* 420. *item P. B. Burgii Libr. cit. p. m.* 411. (f) Vid. *l'Hiſtoire de G. A. Tom. cit. p. m.* 420. (g) Vid. *Libr. modo cit. p. m* 461. (h) Vid. *Libr. ſæpius cit inde a pag.* 457 *paſſim.*

§. XII.

§. XII.

Sunt denique, qui haud obſcure inſinuent, Imperatorem Ferdinandum II, qua fuit animi pravitate, in tragico Regis Svethiæ fato non omni caruiſſe culpa; ſiquidem, cognito prælii Lützenſis exitu, tormenta boarent Viennæ, ignes feſtivi collucerent Bruxellis, Ingolſtadii & Ratisbonæ, *Te Deum* cantaretur Madriti & ludi ſcenici paſſim inſtituerentur (a). Haud equidem miror, Cæſareos impenſe fuiſſe gaviſſos, magis quippe timentes Regem Guſtavum Adolphum, licet ſolum, quam totum exercitum Svecanum, hoc capite ac duce deſtitutum: Forte etjam de morte Regis in ſinu lætabatur Imperator, quis enim acerrimo unquam favit hoſti? quamvis caſum ejus publice lacrymaret. Neceſſe inſuper erat, ut Imperator, licet ampliſſimam exercitus ſuus cladem fuiſſet paſſus, ſpecimina lætitiæ ac victoriæ daret publica, ut dejectos populi ſociorumque animos ita erigeret, & utrique neceſſaria tributa ac ſubſidia libentius in ærarium conferrent; exinde tamen non ſequitur, Imperatorem fuiſſe cædis auctorem. Sed argumentum hoc graviter ac copioſe ab alio (b) expoſitum, ulteriorem meam non deſiderat explicationem.

(a) Vid. *Hiſtoire de G. A. par Mauvillon* Tom. IV. p. 475. 476. (b) Vid. *Diſſertation ſur la mort de Guſtave-Adolphe, annexam Hiſtoriæ Gualdi.*